

ait, subest *ars metallica, ars revera non modici ingenii*. Id quod *Bæclerus, Instit. Polit. p. 216.* confirmat: Metallis colligendis & eruendis, scribit, natura viam ostendit: *neque vulgari tamen arte & peritia opus est in re metallica tractanda*. Etenim illa primum (*pergit Agrippa*) extelluris montiumque superficie, quæ quoque loco venæ intus sitæ sint, quæ illarum extensiones, exitus, fibræ, cognoscere docet, & quomodo excavatis terræ visceribus montium moles superstruendæ sint. Porro, quemadmodum ex erutis minerarum lapidibus, ignis liquamine pura metalla excoquantur, eaque si mixta sint, à se invicem discernantur, aut nulli aut paucissimi hæctenus integrè tradiderunt; forte, quod *Ars hæc veluti mechanica & servilis à doctis quibusque & liberis ingeniis despecta sit*. In quibus postremis verbis *Auctor* de temporibus suis loquitur, nam hodiè etiam eruditi nobilissimique viri hujus artis periti sunt. Interim illud verissimum, quod *non sit ars subtilis, aut liberalis, sed mechanica similis*, quæ circa materiam crassam versatur. Porro *differentia* petitur à quatuor causarum generibus, *efficiente, materia, forma & fine*. De quibus *Pars tractationis altera*, certis capitibus nunc aget uberior.

PARTIS SPECIALIS

CAPUT I.

De

Hermundurorum Metallurgiæ argentariæ causa efficiente.

S U M M A R I A.

Causa efficiens §. 1. non est una. Principalis §. 2. est Princeps Hermundurorum, qui jus circa argentifodinas habet, cujus juris alterum saltim caput §. 3. hic declaratur, quod est potestas condendi leges circa rem metallicam, ubi §. 4. liberalitas sereniss. Electoris variis rebus commendatur. Hinc Constitutionum §. 5. administratores antiqui & §. 6. recentiores, qui in majores & minores distinguuntur: Illi §. 7. Judicium metallicum superius

C

Erci-